LE III
3

TEOLOGIA
DOMMATICA
163.
A
5.
BIBL.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
163
A
5
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

DE
CREATIONE
COMMENTATIONES

AUCTORE

VINCENTIO GREGORIO LAVAZZOLI O. P.

ALMI NEAPOLITANI THEOLOGORUM
COLLEGII DECANO &c. &c.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E. III NAPOLI

NEAPOLI MDCCXCIII.

Typis JOSEPHI MARIÆ PORCELLI Bibliopolæ
Ac Typographi Reg. Acad. Militaris
Superiorum permiſſu.

In lege Domini meditabitur die, ac nocte:
Joſue 1. 8.
Pſ. 1. 2.

Dissertatio Prima.

In concipiendo opere Creationis falsas, verboque DEI contrarias hypotheses fingere non licet. Hinc Creatio a Mose recensita juxta leges motus facta non fuit, nec tantum terrestria respicit.

Dissertatio Secunda.

Duplex statuenda non est Terra: Sed eadem adhuc hodie, quoad substantiam, terra est, quæ ante Diluvium fuit.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS . AC . REVERENDISSIMIS
ALMI . NEAPOLITANI . THEOLOGORUM
COLLEGII
PATRIBUS . MAGISTRIS . SAPIENTISSIMIS
DUAS . HASCE . COMMENTATIUNCULAS
PIE . OBSERVANTISSIMEQUE
CONSECRAT
AUCTOR .

QUæ olim Athenienſes omnes et inquilinos peregrinos occupaverat lues, ut nullæ rei vacarent, niſi ad dicendum, aut audiendum aliquid novi, *Act. XVII.* 21., ea adhuc pleroſque faſcinavit homines, unde antiquæ et receptæ doctrinæ pertæſi, avide arripiunt, quæ ex peregrinis afferuntur locis, exiſtimantes, ſe pro doctis haberi haud poſſe, niſi nova, et hactenus inaudita proponant: quæ tamen Vobis, *Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Patres Magiſtri* purioris doctrinæ æſtimatoribus vel ſolo hoc novitatis ti-

Digitized by Google

titulo ac nomine audito ſuſpecta ſunt, fugienda ac reiicienda. Interim ne noxiis ejuſmodi oblectamentis capiantur, ac decipiantur animæ non malæ, ut ſtatuta noſtræ Facultatis Theologicæ ſervem, (§. *XXXV.*) duas haſce qualeſcumque Commentatiunculas *de Moſis Syſtemate proſequendo* VOBIS offero, et dico; poſt Diſſertationem *de Præſtantia Scripturæ Sacræ* anno elapſo editam; alias in Acad. Arch. recitatas promittens DEO bene favente. Is autem, qui veritatem nobis revelavit, confirmet nos in veritate ſua uſque ad finem vitæ noſtræ. Dabam in Cœnobio S. Dominici Majoris die 17. menſis Aprilis 1793.

VINC. GREG. LAVAZZOLI D.

Quando

QUando Neo-Physici Opera Creationis, et quidem inprimis *materialia* juxta suum ordinem volunt scrutari, eorumque naturam describere, tum eadem non qualia jam sunt, aut qualia revera a DEO creata; sed quo pacto juxta leges naturæ et motus oriri potuerint, considerant: et hunc in finem suppositiones quasdam falsas assumunt. Hypotheses has falsas verboque Dei adversas fingere non licitum saltem, sed et necessarium esse judicat *Cristoph. Wittic. in Theol. Pacif. c. 7. n. 61. Petrus Allinga in Erotemat. Illustr. decad. 6. Erot. 6.* non vult, ut, quod unus e Cosmogonorum choro dixit, adscribatur cunctis, nec quod sub variis restrictionibus prolatum, illimitate imputetur; sed potius hoc modo vult institui quæstionem: *An ad naturas earum rerum, quas Deus simul creavit intelligendas, non sit longe melius,*

Digitized by Google

quin necessarium ob intellectus humani imbecillitatem considerare, quo pacto paulatim in prima mundi origine creatæ sint? Mox tamen hanc ponit propositionem: *Quæ mea est infantia videre nequeo, cur non liceret uti falsa hypothesi ad naturas rerum melius intelligendas?* Conf. hic etiam *Burcher. de Volder in Cogitation. Rational. thes.* 19. *et* 20. Sed contra hos, aliosque, videndi *Petr. van Mastricht. in Gangr. Novitat. Cartes. sect. poster. c.* 19. *n.* 2. *seqq. Gerhard. de Vries in Exercitat. Rational. Exerc.* 23. *n.* 10. *cet.*

§. II. Prænotamus nos, non esse sermonem in genere de hypothesibus quibusdam per rationem formatis, quales plurimas in Mathesi dari non diffitemur: sed speciatim de hypotesibus in mirando creationis opere citra vel contra Scripturam formandis. Quo prænotato dicimus: (I) In *maxime mirando Creationis opere concipiendo non licet hypotheses quasdam falsas citra vel contra Scripturæ veritatem assumere*. Prob. (1) Quia creatio quoad *modum* et *ordinem* non ex lumine naturæ constat; sed tantum ex lumine revelato. Non ergo hic licet aliquid fingere, quod non ex Scriptura S. constat. (2) Quia contra Scripturam hypotheses quasdam fingere est Scripturam S. vel imperfectionis vel falsitatis arguere. Quod utrumque impium est. Quod autem Neo-Physicorum hypothesis sit contra Scripturam, satis patet ex eo, quod hæc creationem habeat pro opere omnem naturam ac rationem transcendente: Illa vero pro opere, quod juxta naturæ leges utique

fieri

fieri potuerit. Dicimus: (II) *Melius est creaturas contemplari, prouti creatae sunt, quam quomodo creari potuerint.* Prob. (1) Quia quomodo creari potuerint, nobis ex natura est ignotum. (2) Quia hypothesis, secundum quam putant, creari potuisse mundum, non sufficit, nec conceptibus nostris satisfacit. Sic enim quaeritur: An non forte adhuc aliter creari potuerit mundus? (3) Quia in contemplandis creaturis, prout creatae sunt, praeviam habemus Scripturam, quae fallere nescit, quam non itidem habemus in hypothesi Recentiorum, secundum quam statuunt, creari mundum potuisse. (4) Quia immoderata illa curiositas circa opera Dei miranda et non rimanda merito fugienda est.

§. III. *Object.* (I) Hypotheses has eum in finem esse excogitatas, ut opera divina, quae unico actu distincte intelligere non possumus, per partes spectemus. *Resp.* (1) non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona. (2) Retineatur ordo operum, quem Scriptura S. suppeditat, secundum quem omnium optime considerari poterunt. *Object.* (II) Et in decretis divinis a Theologis constitui ordinem talem, qui legibus sapientiae est conformis, non aliter, ac si successive essent formata; multo magis ergo id licere in operibus Dei externis. *Resp.* (1) Si quis ordine creaturas considerare velit, non improbamus, retineat modo ordinem a Scriptura S. assertum. (2) Si quis et ita opera Dei externa velit considerare, quemadmodum Theologi considerant decreta Dei, nec id improbamus.

Con-

Considerant autem Theologi decreta Dei non juxta ordinem aliquem fictum, vel hypotesin quandam falsam; sed secundum ordinem in ipsa Scriptura S. unice fundatum.

§. IV. Ex recentioribus vel primus quondam asseruit *Renatus Cartesius*, juxta leges motus conditum esse mundum, et quidem in *Dissert. de method.* ubi docet, quod primum chaos, etsi nullam aliam formam Deus ipsi ab initio dedisset, potuisset per leges motus accedente ordinario Dei concursu ad modum ei inditum conservandum ex se solo hoc systema mundi, et res pure naturales, quales nunc videmus, efficere, et producere. *Cartesium* nonnulli secuti sunt, qui Philosophiam ejusdem et ad res Theologicas applicare studuerunt vid. *Cristoph. Wittich. in Theol. Pacif. n.* 67. *et in Theol. Pacif. defens. c.* 7. *n.* 88. *p.* 114. *seq.* Majori cum absurditate eandem hypothesin defendere ac deducere conati sunt nonnulli Mathematici, inprimis in *Anglia*. Sic v. g. *Anno* 1681. *et* 89. *Londini* prodiit scriptum aliquod, cujus auctor, docente Epistola dedicatoria, est *Thomas Burnet*, sub titulo: *Telluris Theoria Sacra Orbis nostri originem et mutationes generales, quas aut jam subiit, aut olim subiturus est, complectens*, quod scriptum *Ann.* 1698. *M. Jo. Jacob. Zimmermann* ex Latino in Germanicum idioma translatum *Hamburgi* edidit. Qui auctor *Cartesium* quidem in nonnullis refutat, nihilominus tamen et mundi ortum juxta leges motus ordinarias factum esse docet prolixe, inprimis et *lib.* 2. *c.* 8. absurde

ni-

Digitized by Google

nimis Historiam Creationis Mosaicam explicat, inter alia docens, in mundo Mosaico comprehendi tantum illas naturæ partes, quæ ex terrestri chao educi potuerunt; non vero etiam mundum Angelicum, neque hujus mundi partes, et regiones superiores, v. g. solem reliquosque planetas, ac stellas. Hæc enim corpora cœlestia per ignota secula præextitisse autumat. Quomodo ex veteribus nonnulli idem quoque statuerint, docet *Dion. Petavius de Dogmatibus Theol. Tom.* 3. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 1. Juxta leges motus creationem quoque explicavit Celeberrimus ille Mathematicus in Anglia *Dn. Whiston* in *Theoria telluris nova*. Pariter et *Edmund, Dickinson in Physica veteri et vera* docet, Philosophiam Corpuscularem, qua omnia componuntur ex atomis, Mosis esse hypothesin, atque sic juxta leges naturæ et motus totum hunc mundum ita exortum esse. Prolixius etiam hæc omnia deducta sunt in *Dethlev. Cluveri Geologia Hamburg. Anno* 1700. *edit.* Huic autem Hypothesi aperte Historia Mosis contradicit, hinc modo aliud absurdum dogma fuit additum, nimirum Historiam Mosaicam de prima creatione non esse intelligendam in sensu *literali historico et proprio*, quasi hic fuisset mundi ortus secundum veritatem historicam vel physicam; sed describi omnia a Mose vel *in sensu parabolico*, vel ita, ut sequatur *Plebejum Systema*, quod sensibus blanditur, eique neglecta Philosophia Systema suum accommodasse Mosen. Quod dogma proponitur in *Archæologiis Philosoph. Londin. Ann.* 1692. *edit. l.* 2. *c.* 7. *et*

8.

8. Qui auctor est modo jam citatus *Thomas Burnet*, qui et eandem illam doctrinam, quam in *Theoria*, proposuit, in præsenti hoc libro denuo repetere voluit, absurdis absurda addendo. Contra hoc scripsere *Osiander in Colleg. Considerat. in dogmat. Cartes. c. 8. thes. 2. p. 115. seqq. Dn. Val. Alberti de Cartesianism. et Coccejanism. c. 1. §. 15. Melch. Leydekker in Face veritat. Loc. 6. controv. 5. p. 282. Petr. van Mastricht in Novitat. Cartes. gangræn. sect. poster. c. 19. n. 11. sqq. p. 347. sqq. Gerhard de Vries in Exercitat. Rational. Exerc. 23. n. 11. seqq. Burnetum* præsertim refutavit *Herbertus Episcopus Herefordiensis* senex in Anglia famigeratissimus in libr. sub titulo: *Some Animadversions upon a Book intitulet the Theory of the Earth. Londin. Ann.* 1685. impress. *Whistonum* refûtat *Job. Witty Londin. Ann.* 1705. in scripto sub titulo: *An essay towards a vindication of the Mosaic History of the Creation.* Conf. hic quoque *William Nichols Conference With a Theist part. 1. pag. m. 90. seq.* et disp. Grapii adversus *Geologiam Cluveri. Burneti* hypothesin, quam proposuit in *Archologiis* suis, refutavit Auctor aliquis *Anonymus* in libro sub titulo: *Moses vindicatus Amstelod. Anno* 1694. *edit.* vid. et contra eandem *Frideric. Spanhem. Elench. Controvers. p. m. 667. seqq.*

§. V. Quoad statum Controversiæ disting. (1) inter creationem *revelatam genuinam* seu *canonicam*, quæ in Historia Mosis habetur: et *spuriam* seu *apocrypham*, qualis e.g. est illa, de qua *Turribius*

Actu-

Asturicensis Episcopus ad Idonicum, et *Ceponium* scribit, se librum vidisse, cui titulus: *Memoriæ Apostolorum*, in quo ceu falsa ea, quæ Moses de creatione scripsit, rejiciuntur. Non de hac, sed de illa quæritur. (2) disting. inter creationem *revelatam proprie* et *improprie* acceptam, præ aliis scil. de *continuata specierum propagatione, et conservatione*. Non de *hac*, sed de *illa controvertitur*. (3) dist. inter creationem revelatam *immediatam*, quæ et *prima* vocatur, et *mediatam*, quæ et *secunda* vocatur, ex plane inhabili illo chao facta. De *hac* potissimum sermo est. (4) dist. inter creationis ex nihilo *demonstrationem* ex principiis Philosophicis, quam ratione *dependentiæ*, et *productionis* concedunt Philosophi pariter ac Theologi; ratione vero *modi et ordinis* a Mose descripti negant, et inter *convenientiam* cum principiis Philosophicis, puta Physicis et Mathematicis, ita ut ex iis creationis opus deduci naturaliter possit. De *hac* quæstio est, non de *illa*. (5) dist. inter sensum Scripturæ *mysticum* ab ipso Spiritu S. intentum: et *accommodationem sensus* ab interprete factam. Non de *hac* disquiritur, sed de *illo*.

§. VI. Hisce prænotatis dicimus: (I) *Creatio mundi a Mose recensita non est facta juxta leges motus.* Prob. (1) a silentio Scripturæ, quæ de his motus legibus plane nihil novit, et præter quam de creationis modo asseri nihil potest. (2) Quia aperte est contra Scripturam. Nam producere materialia ex se, chao convenire nequit; sed requirit infinitam virtutem. Ita enim Deus sibi hæc ap-

appropriat *Jeſ. XL*, 12. 13. 14. 15. (3) Quia in ipſa creatione leges motuum naturæ, ſingulisque ejus ſpeciebus vi omnipotentis illius Verbi Domini tum jubentis: *Fiat*, tum benedicentis: *Creſcite et multiplicamini*, fuere datæ, ita ut poſt creationem hanc ſupernaturaliter factam juxta easdem demum operatæ fuerint, ut inter alia quoque conſtat ex *Gen. II.* 5. (4) quia rudis illa indigestaque moles plane fuit inhabilis, et *potentia* ejus *mere* fuit *paſſiva obedientialis*. vid. *Jacob. Martin. Exercit. Metaph. l.* 1. *Exerc.* 3. *theorem* 9. *p.* 115. Ubi vero nulla *potentia naturalis* eſt, ſed *obedientialis* ſaltem, ibi leges motuum mechanicæ nullum poſſunt habere locum, niſi et dicere velis, juxta regulas artis, vel juxta leges mechanicas aquam a Chriſto mutatam eſſe in vinum, et juxta leges motuum ex lapidibus Abrahamo excitandos fuiſſe filios. (5) Quia juxta leges motuum agere eſt operis *providentiæ*, quæ ſic male cum *creatione* confunditur. Imo ſic hodie quoque Deus crearet, quando agit juxta leges naturæ in prima creatione naturæ inditas, cum tamen dicatur Deus ab omni ſuo opere quieviſſe. (6) Quia creatio a Moſe recenſita facta fuit *inſtantanea*. Sic quando Deus dicit: *Fiat Lux*, ſtatim ſequitur: *et facta eſt lux*, et ſic porro. Quæ ergo creata, ſine motu et ſucceſſione ſunt creata. Motus enim eſt ſucceſſivus. Conf. *Philoſoph. Altdorff. p.* 532. Dicimus (II) *creatio a Moſe recenſita non ſaltem terreſtria, ſed et cœleſtia corpora omnia reſpicit*. Prob. (1) ex clariſſima Hiſtoriæ Moſaicæ litera *Gen. I.*

1.

1. Jam equidem non negandum, vocabulum שמים varias ſuſtinere ſignificationes, quas omnes ob brevitatem, cui ſtudemus, hic adducere non licet: attamen et vocabulum hoc pro *cœlo ſidereo* Lunæ, Solis, planetarum reliquorum, ſtellarumque fixarum regione etiam ſumi nemo negabit, qui Hebrææ linguæ peritus, et ſatis id conſtat ex *Gen. XV.* 5. *c. XXII.* 17. *c. XXVI.* 4. *Joſ. X.* 13. *Ezech. XXXIII.* 8. *Ps. XXXVI. 6. Pſalm. LXXXIX.* 12. *Ps. CIII.* 11. ut iſtiusmodi loca alia taceamus. Hunc autem ſignificatum vocabuli in præſenti loco eſſe, ſatis conſtat ex ſcopo Moſis, ut et ex conſequentibus. Sic enim mox *v. 6. et* 8. id ad oculum conſtat. Vocatur autem ſic, non quod tum jam tale fuerit, ſed quod mox ita futurum eſſet, juxta phraſin non inſuetam, Vid. *Glaſs. Grammat. S. tr. I. c.* 3. *p.* 885. (2) ex eadem Hiſtoria, et quidem ex *v. 6.* ibi expreſſe dicitur creatum eſſe רקיע *firmamentum*, ſive *expanſum*, *ſupremum* ſcil. illud, in quo Sol, Luna et Stellæ collocantur v. 14. 17. (3) rurſus ex eadem Hiſtoria. Sic enim ibidem *v.* 14. *ſeqq.* expreſſe dicuntur corpora cœleſtia *die quarto* creata. Hæc omnia autem ex chao fuiſſe facta in tempore ſextidui, ſatis apparet ex v. 1. et toto ſcopo hiſtoriæ, quæ omnia tam clara et perſpicua ſunt, ut a nemine, niſi, qui ultra vires ſapere velit, vel negari, vel in dubium vocari queant. (4) Quia cum creatione ſextiduana incipit tempus, ut ſatis indicat vocabulum בראשית *Gen. I.* 1. Hinc quicquid ante ſextiduum eſt, ante

te tempus est. Quicquid autem ante tempus est, æternum est. Atque sic sequeretur, corpora cœlestia fuisse ab æterno, utpote quod absurdum. Creatum enim esse, et ab æterno esse, contradictio est in adjecto. Dicimus: (III) *Historia creationis Mosaica non in sensu parabolico est conscripta, nec ad systema plebejum, aut opinionem vulgi erroneam est accommodata.* Prob. *prius* (1), quia juxta communem regulam Exegeticam *a litera non facile est recedendum, nisi summa nos cogat necessitas*, quæ vero hic non est, nisi necessitatem velis vocare, quando ratio sub obsequium fidei se non vult redigi, quæ necessitas vero nullo modo admittenda est. (2) Quia sensus parabolicus itidem est sensus Spiritus S., de quo vero nonnisi ex ipsa Spiritus S. mente, vel in ipso contextu, vel in locis parallelis significata, possumus esse certi. Quæ autem certitudo cum hic non reperiatur, merito a sensu parabolico hic abstinemus. Prob. *posterius* (1), quia omnis Scriptura est θεοπνευστος, 2. *Tim. III.* 16. Ergo et Historia Mosaica. Jam autem dicere, *ακυρολογιας* esse inspiratas, maxima est blasphemia. (2) Quia Deus non potest mentiri, *Hebr. VI.* 18.: mentiretur autem, si in verbo suo ad opinionem vulgi erroneam loqueretur. (3) Quia omne Verbum Dei est credendum. Si autem hic Moses ad plebejum saltem systema, idque non accuratum sese accommodasset, sequeretur, quod hic verbum non sit credendum, et quod *Burneto* aliisque hodiernis *Neo-Physicis* ac *Mathematicis* magis sit credendum,

quam

quam Mosi Viro Θεοπνεύστῳ. (4) Quia nec Moses opus habuit ita scribere, quia non stupidi, sed omnino etiam sapientissimi ac ingeniosissimi inter Judæos erant. Vid. *Exod. XXXVI.* 12. *Deut. I.* 13. *seqq.* (5) Hæc ut reliqua omnia etiam ex traditionibus passim, quas Adversarii tanti faciunt, probari possunt. Quam operam prolixe et erudite exantlavit *Tribbechov. in Dissertation. de veritate creationis mundi prout a Mose descripta est, ostensa in Traditionibus Gentium ac vetustissimis antiquitatis profanæ monimentis ad convincendos Atheos, Kilon. Seculo elapso habita*. Quæ dissertatio nunc quoque habetur in Celeberrimi *Dni Crenii Dissert. Historico-Critic. Philol. Fascic.* 2. (*).

§. VII. Contra *Thesin primam objic.* (I) Eandem esse actionem, qua Deus nunc conservat mundum cum ea, qua ipsum olim creavit. *Resp.* (1) Ad formationem hujus mundi non tantum requiri motus conservationem, sed quam maxime ipsam creaturarum ordinatissimam et immediatam dispositionem. Nec enim tantum in formatione mundi necessaria est Dei potentia conservans; sed et sapientia infinita ordinans et disponens quasvis

B res

(*) *Ex nostris vid. Illustrissimus Franciscus Bianchini in opere inscripto*: Istoria Universale provata con monumenti, e figurata con simboli degli Antichi. Roma 1697. *Iterum edita a Barbazza* 1747.

res suo loco et ordine. Uti ad actualem providentiam non tantum requiritur conservatio generalis, sed et gubernatio specialis, et creaturarum immediata directio, ita ad mundi formationem non sufficit motus quædam conservatio, sed ipsa partium mundi dispositio sapientissima, quæ solo motu fieri nequit. Atque hinc (2) licet quidem eandem virtutem requirat creatio et conservatio, distinguuntur tamen illæ duæ actiones *operandi modo*. Et in creatione non *potentia naturalis* habet locum, ut in conservatione, sed *mere obedientialis*, qua chaos omnino fuit materia plane inhabilis, ut propterea etiam creata ex chao dicantur facta *ex nihilo*. Qui conceptus tamen non dantur in conservatione. *Object.* (*II.*) Nihil decedere per hanc sententiam Deo, utpote qui nihilominus maneat auctor rerum, cum ad motum, quo illæ efficerentur, conservandum concurreret, atque hoc modo res omnes naturales ipse cum tempore efficeret. *Resp.* Cum ad creationem omnino plus requiratur, quam generalis et ordinarius ad motum concursus, ejusque conservatio, hinc sine divinæ gloriæ præjudicio per motum juxta naturæ leges tales res naturales, quas oculis nostris videmus, ex confusa illa materia effici non potuerunt. Contra *Thesin secundam Object.* (*I*). Creationem cœli et terræ ex nihilo pure negativo *Gen. I.* 1. assertam præcedere subsequentem sextiduanum laborem. Atque hinc *v.* 2. Mosen incipere creationem sextiduanam, et quidem cum creatione ex chao, ibique tantum sermonem esse de

de terra, excluſis corporibus cœleſtibus jam tum præexiſtentibus. *Reſp.* (1) Creatio illa ante ſextiduana eſt non Ens. Phraſi enim Scripturæ omne Ante ſextiduanum eſt æternum. (2) Verba Moſis *v.* 1. præludium ſaltem eſſe, et *v.* 2. demum incipere creationem ſextiduanam, dicitur, non autem probatur. Contrarium ſatis conſtat ex præmiſſo *Vav*, quod ſermonem *v.* 1. cœptum immediate copulat, item ex ה *demonſtrativo*, quod indicat, de ea ipſa terra eſſe ſermonem, de qua *v. præced.* 1. et ſic porro fluit ſermo uſque ad *v.* 6. apertumque eſt indicium, totam hanc locutionem exprimere laborem *primi diei*; (3) ſi *v.* 1. præludium ſaltem eſſet, aſſerens, corpora cœleſtia jam ante creationem ſextiduanam præextitiſſe, ſequeretur, et terram jam ante creationem ſextiduanam præextitiſſe, nam et ejus *v.* 1. fit mentio. Quod tamen contra Adverſariorum noſtrorum videtur mentem eſſe. *Object.* (*II.*) Chaos ſe non ultra terram extendere, et ne quidem ad lunam pertingere. Potiora argumenta aſſertionis hujus hæc ſunt: (1) Quia expreſſe terra illud chaos vocatur *Gen. I.* 2. (2) Quia chaos tenebroſum fuit, antequam lux producta. Si vero chaos ſolem fixaſque ſtellas complexum fuiſſet, jam ante lucem debuiſſet fuiſſe pellucidum. Sed *Reſp.* Falſa omnia ſunt præſuppoſita. Speciatim autem reſp. ad (1) dicitur *Gen. I.* 2. *chaos terræ* quoad aliquam ſui partem; ſed *v. præcedente* 1. vocatur etiam *cœlum*. Ad (2) fuere ſol et ſtellæ fixæ in chao nondum diſpoſita, ſed adhuc indiſpoſita, a-

 deo-

Digitized by Google

deoque nullum effectum dare poterant, antequam disposita omnia. Contra *Thesin tertiam objicitur* potissimum hocce: impolitum, rude, et semibarbarum Judæorum fuisse ingenium, ad quod se accommodare debuerit Moses. Sed *Resp.* (1) Quod si etiam Judæi adeo barbari fuissent, ne sic tamen citra blasphemiam Spiritui S. mendacia tribuere possumus. (2) Quod autem Judæi tales non fuerint, ex iis jam constabit, quæ *preced.* §. in fine monuimus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO ALTERA.

§. I.

PRimus ferme, quantum nobis quidem constat, qui controversiam de duplici quadam terra movit, fuit *Eques* quidam *Hispanus Don Josephus Antonius Gonzalez de Salas*, qui *An.* 1650. *Lugd. Batav.* edidit *dissertationem* aliquam *Paradoxicam de Duplici viventium terra.* Nervose integram suam sententiam in hoc redigit compendium: *Dum scrutor*, inquit, *rursus inquam Geographicam originem, duplicem illam enim reputatum iri jam adducor, ut cogitem. Primam anterius vidimus, tum primum delineari, cum die tertio Dominus jussit Aridam apparere. Eam autem aquarum diluvii exundatione universam prope fuisse obliteratam ambigere non licet. Altera ideo statim obtulit se delineatio telluris, quæ post diluvium prodiit. Neutiquam adhuc hic et requievit ingenium progressum ulterius videlicet, ausumque facinus tantum adversus terrarum orbem, ut par forsitan ille perpessus non sit, postquam conditum scimus. Relinquere nimirum, subiit hinc primum nobis haud valde cunctabundis, obrutam imposterum aquis primævam illam telluris superficiem, quam mortales omnes usque ad Diluvium incoluere. Et vicissim pariter etiam nos illico conjecimus, al-*

Digitized by Google

teram alibi ſuperficiem terræ diverſam prorſus ab illa primæva poſt diluvium prodiiſſe, ſedem ſubinde futuram viventium, cujus et incolæ hactenus ſumus, et erimus uſque ad dierum ejus noviſſimum complementum etc. Putat ergo Auctor, quod terra continens, quæ ante diluvium fuit, aquis deleta merſa profundis manſerit, et alia Noæ poſteris a Cataclyſmo, quam ex undis extraxerat DEUS, cultui conceſſa fuerit. *Diſſertatio* hæc *An.* 1654. refutata fuit a *Chriſtiano Schotano*, *Profeſſ. Franecker.* in *brevi quadam Epiſtola*, quæ refutatio tum temporis partim ſeparata prodiit, partim etiam deinceps *Bibliothecæ* ipſius *Hiſtoricæ V. T.* inſerta fuit. Refutavit hanc hypotheſin quoque *Calov. in Bibl. Illuſtr. ad Gen. VIII.* 13. *Tom.* 1. Eandem ferme hypotheſin paullo poſt renovavit *Thomas Burnet in Theor. Sacra Tellur.* docens, primam terram fuiſſe Paradiſaicam, plane alterius compagis ac formæ ab hodierna, totam fuiſſe continentem ſine Oceano, totam lævem et æqualem ſine montibus, totamque ſolidam ſine cavernis. Hanc jam penitus fuiſſe per diluvium diſſolutam inſtar corticis cujusdam. Hodiernam autem noſtram terram, ceu longe aliam, ex aquis diluvii emerſiſſe. Quæ omnia prolixius in dicto libello deſcribuntur, ita, ut *l.* 1. *c.* 2. *p. m.* 2. glorietur, *ſe primum eſſe hujus hypotheſeos autorem.* Sed cum jam ante eum modo nominatus *eques Hiſpanus* eandem publice propoſuerit, non immerito *Thomas Burnet* inter plagiarios refertur a *Dn. Tenzelio*. Eadem ſententia de duplici hac terra propugna-

gnatur etiam ab auctore *Archeologiarum Philoſoph.* ſive *doctrinæ antiquæ de rerum originibus Londin. ann.* 1662. *editam l.* 2. *c.* 2. qui auctor autem idem eſt *Burnetus*, refutatus ab auctore aliquo *Anonymo* in ſcripto ſub titulo: *Moſes vindicatus*; *p.* 152. *ſeqq.* Eundem *Burnetum* refutavit quoque in Anglia *Eraſmus Warren in Geologia or a Diſcourſe concerning de Earth before the Deluge Londin. an.* 1690: Contra quem autem ſeſe defendit *Burnet Londin. an.* 1690. in ſcripto ſub titulo: *An anſwer tho de Late objections made by Sieur Eraſmus Warren againſt the Theory of the Earth.* Eandem *Burneti* ſententiam tueri videtur *Dn. Whiſton. in nova telluris theoria p.* 200. *ſeqq.* *Burnetum* adhuc refutarunt in *Anglia Herbertus Herfordienſis Epiſcopus*, item alius *Epiſcopus*, qui ſe vocat nomine ſuo gentilitio *Croft*. Sic et *Hafniæ Janus Birckerodius*, *Lipſiæ B. Chriſtian Wagnerus*, et *Hamburgi Dn. Caſp. Buſsing.* eidem *Burneto* ſeſe oppoſuerunt, ejuſque hypotheſi. Ut adimpleretur quod prædictum eſt in Cant. Zach. v. 4.

§. II. Prænotamus nos: 1. Non eſſe ſermonem de aliis quibusdam terræ qualitatibus, aliaque conditione quadam, quam poſt diluvium concedere poſsumus, ſed de terra alia quoad ſubſtantiam ſuam. 2. Non eſſe ſermonem de corruptione terræ per aquas diluvii facta, ſed ipſa ejusdem perditione ac abolitione totali, inque aquas immerſione, cujus in locum nunc ſucceſſerit alia. 3. Non eſſe ſermonem de magna quadam confuſione per diluvium facta, de qua vide *I.*

Gottfried. Voigt centur. 1. *q.* 30. sed de novæ terræ surrogatione in locum prioris. Quibus prænotatis dicimus: *Non duplex terra est statuenda : Sed eadem adhuc hodie, quoad substantiam, terra est, quæ ante diluvium fuit* . Prob. 1. Quia de nova hac terra plane nihil constat ex toto S. Codice , ex quo tamen unice de rebus ante diluvium judicari oportet, cum nullus alius liber extet , ex quo de iis aliquid certi sciri potest . Traditiones gentilium plane nihil hic valent, nullumque certum argumentum præbere possunt . 2. Quia ex Scriptura S., inprimis ex Historia Mosaica, plane contrarium constat, assertionem nostram clare satis probans . Sic *Gen. VI.* 17. dicit DEUS , se *adducturum esse aquas diluvii super terram* על הארץ *super eam ipsam terram* , quæ nimirum ab ipso erat condita , et super quam vivebant illi homines , qui viam suam corruperant , non ut ipsa terra periret, sed ut homines, et *quicquid est (NB) in ea ipsa terra* , *expirarent* . *Gen. VII.* 3. dicitur , *conservandum esse semen super omnem illam terram.* Non ergo ea ipsa terra totaliter perire potuit . *Versu* 4. dicitur *DEUS deleturus non ipsam terram*, sed *omne corpus vivens e superficie terræ* , Sic et *Versu* 17. - 24. ea ipsa terra expresse dicitur *in medio diluvii permansisse*, ita, ut *arca super terram illam adhuc permanentem fuerit elevata* , *aquæ super eam ipsam terram creverint* , *terræque montes fuerint operti* , et per totum tempus diluvii aquæ super eam ipsam terram semper permanentem steterint. Qui ergo perire potuit? *Gen. VIII.* 1. dicitur DEUS

trans-

Digitized by Google

transmisisse ventum denuo super eam. ipsam terram. Vers. 3. dicitur *aqua recessisse ab ea ipsa terra*, ut tandem *ea ipsa terra*, super quam aquæ diluvii venerunt, *c. VII.* 17. ex his undis iterum emerserit, *Gen. VIII.* 7. 8. 9. 11. 13. 14. etc. infallibili certe indicio, *quoad substantiam* nunc post diluvium non aliam esse terram, quam ante diluvium, et quam primitus a Deo creata fuit. (3) Prob. ex folio illo olivæ, decerpto a columba illa, *Gen. VIII.* 11. Quod folium procul dubio etiam periisset, si tota terra periisset. Alias enim hæc rudera non remansissent. Equidem *Excipitur:* olivam in mari esse natam, imo nemora et sylvas sub aquis per mille et sexcentos annos salva mansisse. *Resp.* (a) Dicuntur hæc, non autem probantur. (b) Quod si etiam res ita sese habeat, nihil tamen inde pro contraria sententia sequitur. Neque probatur ex eo, integram pristinam terram quoad substantiam periisse, cum particula quædam hæc potuerit fuisse terræ per vim aquarum a reliqua integra manente divulsæ. Quemadmodum et istiusmodi alia habemus exempla, integrarum nimirum urbium ac insularum a mari quasi deglutitarum, aquisque obrutarum, ac sub aquis per tempus aliquod existentium, salva nihilominus manente reliqua terra, a qua divelluntur, uti sic adhuc hodie sub undis conspicua est urbs *Wineta.* vid. *Dn. Georg. Cristoph. Gebhardi duas dissertat. Wineta et Arcona, Gryphiswaldiæ ann.* 1691. *edit. Dissert.* 1. Qua ratione argumento nostro ab oliva illa desumto plane nihil decederet. Prob. (4)

Quia

Quia marium, nubium, ventorum, æstatis, hyemis, montium æque ante diluvium, ac post diluvium fit mentio, non ergo aliam hæc indicant terram. Vide clarissimam literam *Gen. I.* 10. 14. *c. II.* 5. *6. c. VII.* 10. *c. VIII.* 22. (5) Quia et alibi Scriptura unius saltem terræ mentionem facit, prout nimirum primum a Deo est creata, et quidem ut talis ad finem usque suum perseveratura. Clarissima sunt loca *Ps. CIV.* 5. *Psalm. LXXXIX.* 12. *Ps. CXV.* 16. *Job. XXXIV.* 13. Inprimis plane clarissima ferme hic habetur litera 1. *Paral. XVII.* 30. (vel juxta alia Exemplaria *c. XVI.* 30.) ubi terra ita dicitur primitus creata, ut moveri non possit. *Job. XXXVIII.* 4. ubi ea ipsa terra, in qua homines post diluvium jam vixerunt, dicitur primitus creata. Idem quoque habetur *Ps. XC.* 2. *Ps. CXIX.* 90. *Psalm. CXXXVI. 6. Prov. VIII.* 26. 29. *Cohel. I.* 4. *Jes. XL.* 21. *c. XLV.* 12. *Hebr. I.* 10. *etc.* Quæ omnia loca clarissime satis indicant, unicam duntaxat ab initio semper fuisse terram. (6) Quia si prima terra periisset, et ita a Deo creata, quemadmodum quidem Burnetus vult, ut perire necessario debuerit, sequeretur, non omnia vere bona a Deo creata fuisse, quod tamen est contra expressissimam Historiæ Creationis literam *Gen. I.* 31.

§. III. *Object. (I.)* Propter scelera hominum maledictam fuisse terram, adeoque perire debuisse. *Resp.* (1) Non ipsam terram propter scelera hominum perire debuisse; sed ipsos homines, omnem-

mnemque ſubſtantiam viventem, ex Hiſtoria Moſaica modo jam adducta eſt ad oculum. (2) Per maledictionem, aquarumque diluvium, etiam corruptam fuiſſe terram, facile concedimus. Aſt a corruptione accidentali ad interitum quoad ſubſtantiam non valet conſequentia. *Object.* (*II.*) Locus ex 2. *Ep. Petr. III.* 5. 7. *Reſp.* (1) Locus hic ſaltem loquitur de corruptione terræ, facta per diluvium, quam lubenter concedimus, ut modo jam monitum eſt; non autem de interitu quodam quoad ſubſtantiam, conf. *Gerhard. in Comment. in h. l.* (2) Imo ſi de ſubſtantia terræ ſit ſermo, *Petrus* plane contrarium teſtatur, quia *verſ.* 7. non ſaltem de terra, ſed et cœlo loquitur. Quemadmodum nunc ergo per diluvium cœlum non fuit mutatum quoad ſubſtantiam, ita nec terra, quæ nunc eſt, quoad ſubſtantiam alia eſt ab illa ante diluvium. *Object.* (*III.*) Locus *Rom. VIII.* 19. ubi diſtinguitur inter mundum vanitati nondum ſubjectum, vanitati ſubjectum, et a vanitate redemptum. Hanc terram eſſe futuram, illam hodie adhuc eſſe; iſtam olim fuiſſe, adeoque duplicem eſſe terram. *Reſp.* (1) Loquitur Apoſtolus non de ipſa terra, ſed de vario hominum in terra viventium ſtatu. (2) Plane abſurdum eſt, per mundum vanitati nondum ſubjectum intelligere terram antediluvianam. Plane contrarium conſtat ex Hiſtoria antediluviana *Gen. VI.* 5. 11. propter quam vanitatem etiam homines de terra fuerunt deleti. *Object.* (*IV.*) Cœlo empyræo olim ob peccatum Luciferi idem accidiſſe

disse, ut sedes ejus, angelorumque ejus non amplius reperta, penitusque deleta fuerit. *Apoc. XII. 8. Jes. XIV. 12. Resp.* Quod si hic alludatur ad casum Luciferi, quemadmodum Catholici volunt, tum Lucifer dicitur cecidisse, non Cœlum; et notanter cecidisse dicitur, non periisse. *Object.* (*V*) Et *Patres Syros* duplicem statuisse terram, primam, in qua Paradisus et primi homines usque ad cataclysmum vixerunt, alteram illam nostram, quam Noah post diluvium excoluerit. *Resp.* (1) Nondum ex his sequitur, quod hi Patres statuerint, aliam terram ex undis emersisse. Nullibi enim apud illos legitur. (2) Si de duplici terra quoad substantiam hæc explicantur, falsum id est, et Historiæ Mosaicæ adversum. Sed potius hæc veterum effata non tam de diversa terræ substantia, quam de unius ejusdemque terræ alio atque alio statu intelligenda erunt:

Nos interim hac vice vela contrahimus, canentes semper:

SOLI DEO TRINUNI GLORIA.

Digitized by Google

OPERE

DEL

P. VINCENZO GREGORIO LAVAZZOLI

FIN' ORA STAMPATE IN NAPOLI.

I. Specimen Philosophiæ . . . . Neapoli typis Josephi Raimundi 1758. in 4.

II. Istruzioni per insegnare la Dottrina Cristiana per uso delle Missioni de' PP. Predicatori di S. Domenico Maggiore di Napoli 1769. per Gaetano Roselli in 8.

III. Novena di S. Agostino impreſsa per singolar divozione di una Religioſa dell'Egiziaca Maggiore. Nap. 1754. in 8.

IV. Cosmologiæ Specimen . . . . 1772. in 4. typis Raimundianis. Con la spiega di una medaglia in onore di S. Tommaso d'Aquino.

V. Catalogo degli Uomini illustri figli del Real Convento di S. Domenico Maggiore . . . 1777. nella Stamperia di Giuseppe de Dominicis in 4. grande: Con un' Allocuzione Latina.

VI. Manière di recitare il Rosario di Gesù, e Maria 1781. in 8. presso Giuseppe M. Porcelli.

VII. Memoria intorno all' antico Monistero di S. Anna, che in Nocera de' Pagani tengono le Nobili Religiose Domenicane... 1782. per Perger.

VIII.

VIII. De Custodia Angelorum Prælectio F. Vincentii Gregorii Lavazzoli, pro acceptatione, et examine in Regentem Regalis Studii S. Dominici Majoris. Typis Vincentii Orsini 1776. in 4.

IX. Allocutio habita in Comitiis Provinciæ Regni Neapolitani Ordinis Prædicatorum. Typis Raimundi 1774. in 4.

X. Predica nella prima Domenica dell' Avvento 1786.

XI. Sermone sopra il rispetto dovuto alle Potenze Sovrane .. 1789.

XII. Prime Linee della Storia Universale .... 1790. in 12. presso Giuseppe Maria Porcelli.

XIII. Sermonum Sacrorum leges, in usum tyronum. in 8. 1790. typis Porcelli.

XIV. Commentatio de præstantia S. Scripturæ. in 8. 1791. typis Porcelli.

XV. Elogj di S. Tommaso d' Aquino dedicati agli Eletti della Fedelissima Città di Napoli, con rami. 1791. in 8. presso Porcelli.

XVI. De Creatione Commentationes ... 1793. in 8. typis Porcelli.

MS. Epitome Controversiarum, et Dissertationes XV. habitæ in Academia Archiepiscopali.

MS. Del Matrimonio de' Romani Gentili, e de' Cristiani.

MS. Grecisti di Napoli, e del Regno prima del Secolo XV. e del Guarini.

VA1
1529120

Digitized by Google

Digitized by Google

163
B
5

BIB
VIT
1 6